



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ad annum Christi 1563

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1771

VD18 90118618

§. 85. Seripandus alter Synodi Præses mortuus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66653](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66653)

Sæcul. XVI.
A.C. 1563.

§. LXXXV.

*Seripandus alter Synodi Præses
mortuus.*

Pallav. c. 7.

num. 6.

Lett. Visc.

p. 133. 141.

Psal. p. 379.

Sarp. l. 7.

pag. 666.

Roya. u. 59.

Die decima septima ejusdem Mensis Martii Synodus alterius Legati sui jacturam deplorabat; obiit enim Tridenti post plurium dierum infirmitatem Cardinalis Seripandus annos natus septuaginta, quinque Menses, & undecim dies. Hic Sacram Synaxin sumptu ferat indutus suis vestibus, genibusque innixus: cum vero in lectum suum reponeretur, latinum sermonem pietate, ac Spiritus sancti unctione plenum habuit, præsentibus quinque Prælati, necnon Veneti, ac Florentini Oratorum Secretariis præter cunctos ejus Domesticos. Paucis ante obitum suum horis quidam Prælati in ejus cubili stantes dicebant, quod in Congregationibus circa justificationem, & peccatum originale opiniones a communi sensu alienas fovisset: cum ergo horum Præfulum musitationes Seripandus Cardinalis percepisset, mox illos proprius accedere jussit, ac coram illis fidei confessionem Ecclesiæ sententiis omnino consonam recitavit: postea de piis operibus ac resurrectione mortuorum differens, Legatis ac Lotharingio Cardinali Concilio

Sæc. XVI.
A.C. 1563.

cilli res commendabat, cumque plura addere pararet, corporis imbecillitate prohibitus cunctos adstantes, qui in lacrimas effundebantur, revocatis omnibus viribus his Divi Pauli verbis alloquebatur: *quare contristamini, quasi in vobis non sit spes?* His dictis placide exspirabat.

§. LXXXVI.

Hujus Cardinalis historia.

Hic idem Cardinalis Anno Christi millesimo quadringentesimo nonagesimo tertio die sexta Maji patria Neapolitanus Trojæ in Apulia natus erat ex Joanne Ferrando, seu Ferdinando, & Isabella, seu Loyfia Galeotta, quos *nobili familia* ortos refert Pallavicinus. Acceperat in sacro fonte Hieronymi nomen, ac in omni Christianæ pietatis exercitio educatus, cum ad Religiosam militiam propensum semper haberet animum, Anno salutis nostræ millesimo quingentesimo sexto die vigesima octava Septembris S. Dominici Institutum amplectebatur, altera autem die ab Antonio Fratre suo vi e monasterio extractus, ab eodem ad paternas ædes reducebatur, ut sua prosequeretur studia, quorum juvenis adhuc Magistrum habebat celebrem Pomponatium: cum vero in suo Religiosæ vitæ proposito

*Ciacon. in
vita Pontif.
t. 3. p. 905.
Pallav. n. 7.
& 8.*

L 3

con-